



H
F

P

S

C





ORDINIS JURIDICI

IN

ACADEMIA VITEMBERGENSI

DECANUS

**JO. BALTHASAR
WERNHER, D.**

**P. P. Collegiorumque Juridicorum
Assessor,**

L. S.





Um Nobilissimus Candidatus suam de Rescriptis Moratorii Dissertationem mihi offert, magnopere mirari subit, quorundam hominum malitiam, qui facilitate Principum abusi sæpenumero Rescripta impetrant, vel potius importunis iteratisque precibus non alio animo extorquent, quam ut adversario negotium faceessant, & saltem liti, quæ in Judicio ventilatur, moram injiciant. Quæ ubi semel adepti sunt, propemodum nunquam evenire solet, ut suo litem protrahendi voto maligno excidant. Equidem non ignoro, illa Clausulam: *Si preces veritate nitantur*, tacite complecti, & in promptu *Sub - Et Obreptionis* Exceptionem esse, qua se tueri alter, detectisque *Impetrantis* artibus, jura sua integra illæsaque servare possit; Sed quanto labore, ac molimine sæpe opus est, quantumque temporis spatium præter

præterlabi solet, donec, elisa virtute Rescripti, partes litigantes in ordinem redeant, ac, evitati s anfractibus, in pristinam viam revertantur? Quanto melius ac salubrius fuerat, hominem simplici relatione Principi obrepentem, nec ulla probatione suffultum statim ab initio repulsum, vel saltem intempestivis precibus tum demum, cum altera pars audita foret, locum datum fuisse, quam deinceps post vulneratam causam remedium quæri, & retractari ea, quæ ad falsam relationem concessa sunt? Quod quidem Acta ex Provinciis exteris ad Nos allata sæpius ostendunt. Nec vero id raro apud exteros evenire memini, ut quando causa per complura Rescripta ad finem adducta videbatur, Litis Contestatio demum reo imponenda, & sic ad carceres a calce revertendum fuerit. Plane illa Rescripta, quæ causa cognita, dantur, vim decidendi habere, nemo dubitat. Sed utrum hæc major sit, quam Sententiæ, cogitandi curam nuper attulit casus Ordini nostro oblatus. Erat, cui juris, quo utebatur, vendendi cerevisiam probatio intra bimestre spatium, ut ex Lege Provinciali fieri oportet, per Rescriptum injuncta esset. Quærebatur de initio termini probatorii, utrum a die

insinuati Rescripti, an a tempore præterlapsi post
insinuationem decendii computandum esset?
Qui prius asserebant, hoc in primis fundamento
nitebantur, quod non eadem ratio Rescripti a
Principe emissi, ac sententiæ per Judicem pronun-
ciatæ foret; Hanc non protinus, cum lata &
publicata esset, vim rei iudicatæ sortiri, sed intra
decem dierum spatium remediis suspensivis lo-
cum relinqui; quæ non perinde contra Principis
iussa valeant; quocirca nullam causam esse, cur
decendii lapsum expectari oporteat. Sed præva-
luit ajens sententia, præsumta Principis voluntate
munita; qui non censetur Rescripto in causa Privato-
rum dato ac fatale definienti aliam vim authorita-
temque hoc in passu asserere velle, quam qua sen-
tentiæ a Judice publicatæ pollent. Præsertim cum
fatalia odiosa sint, ac in dubio, cum Principis vo-
luntas certa non est, ea semper conjectura capi de-
beat, quæ pro conservanda probandi facultate fa-
cit. Quod & Potentissimus Legislator Saxo in
eo, quod de Oblatione ad jurandum An. 1682.
promulgatum est, Mandato haud obscure confir-
masse videri potest. Rejecta enim Appellatione,
non a tempore, quo publicatæ Remisoriales sunt,
sed demum ab elapso decendio fatale octidui le-
ge

ge definitum currere jubetur. Quid vero specia-
tim circa Rescripta Moratoria monendum, quid-
ve vulgo a Doctoribus falso hic tradi solet, fu-
sius in Dissertatione sua Inaugurali executus est
Nobilissimus Candidatus Noster, CHRISTIA-
NUS GOTTLÖB POHLE, cujus vita, more a
Majoribus accepto, breviter commemoranda est.
Patriam nactus est Gröedicensem vicum, Patrem
M. MARTINUM POHLE, illius, plurimumque
circumjacentium Locorum Antistitem Vigilanti-
ssimum, multisque in Ecclesiam meritis Cla-
rum; Matrem JOANNAM SOPHIAM, ex ho-
nestissimo PRÆTORIORUM Familia oriun-
dam. A quibus Parentibus natus est Mens. April.
Anno recuperatæ per Christum salutis MDC
LXXXIX. Neque Illi, qua sunt vitæ morumque
sanctitate, quicquam prius aut antiquius habue-
runt, quam ut tenera filii ætas omnibus Virtu-
tutum literarumque rudimentis, quæ capere pos-
set, impertiretur. Factum hoc est primum do-
mesticos intra parietes; deinde, ubi decimum
ætatis annum impleverat, *Budissam* perductus, ac
Scholam, quæ ibi floret, ingressus Optimorum
Virorum, *Callmanni & Rosenbergi*, Disciplina
fruebatur. Inprimis informationem privatissi-

mam hospitis sui, *Thymii*, laudat, Eidemque Vi-
ro plurimum se debere, grato animo profitetur.
Sed ubi Scholasticum curriculum *Ille* emensus,
ac de umbra in lucem Academiae transferen-
dus esset, hanc sedem Musarum adiit, & puri-
tate sanctioris doctrinae, & omnium scientiarum
copia nulli secundam. Hic vero non illotis, quod
ajunt, manibus Jurisprudentiae studio se dedit, sed
initio Celeberrimorum Virorum, qui Philoso-
phiam in hac Academica docent, publicas Scho-
las adiit; jam tum probe intelligens, his demum
fundamentis substratis, & veluti gradibus, ad al-
tiora ascendi. Quo loco nescio, indignatione po-
tius, an commiseratione animus duci debeat,
cum in mentem mihi venit pessimi moris, qui
jam multorum animos invasit, ut sibi persva-
deant, posse etiam sine adjumentis Philosophiae,
ac neglecta Literarum Elegantiorum cultura, in-
signes in Jure progressionem fieri. Equidem ad-
huc neminem vidi, qui his praesidiis destitutus
Jureconsulti dignitatem tueri posset; cujus No-
men non Rabularum artibus, nec simplici Le-
gum farragine, sed recta solidaque Juris scientia
continetur. Meliori Consilio *Noster* Sapientiae
Doctores multum diligenterque audivit; & ex
Ipso-

Ipsorum ore doctrinas magno sibi in posterum
usui futuras hausit. Animum sic rite præpara-
tum Juris, tum Publici, tum Privati, disciplinæ
dedit; & Excellentissimos Celeberrimosque Ju-
reconsultos, *Beyerum*, atque *Gribnerum*, alte-
rum publice docentem, alterum privatim Insti-
tutiones Juris explicantem audivit, ac in dispu-
tandi Exercitio, quod hic publice instituerat, par-
tes suas egregie respondendo opponendoque egit.
Sed & Summos Viros, Illustrem Ordinis Juridici
Præsidentem, *Bergerum*, & Magnificum *Hornium*,
utrumque Potentissimo Poloniarum Regi, Eidem-
que Electori Sax. a Consiliis, magna industria se-
ctatus est, Eorumque Lectionibus, Publicis,
Privatisque interfuit, quorum ductu suam in u-
troque Jure peritiam magis auxit, atque perfecit.
Meas quoque Scholas Eundem frequentare, su-
amque diligentiam, Ingeniique vim mihi appro-
bare, memini. Jam confecto Studiorum cursu
ad Supremum in utroque Jure honorem & Gra-
dum adspirat; Eoque consilio Nomen suum
apud Nos professus Examen sustinuit, in eoque
sic se gessit, ut unanimi omnium suffragio ad ul-
teriora Specimina admitteretur. Quocirca
futuro die Martis, si DEO ita visum fuerit,
sub

sub Præsidio Viri Illustris, *Bergeri*, Consiliarii Regii, & Facultatis Nostræ Ordinarii, Dissertationem Inauguralem *DE HIS, QUÆ CIRCA PRÆSCRIPTIONEM MORATORIAM FALSO TRADUNTUR*, a se conscriptam publice ventilandam proponet, sui que animi doctes & Eruditionem insignem in omnium conspectu explicabit. Quem Actum Solemnem ut Magnus Academiae PRO-RECTOR, Illustrissimus COMES, Per-Illustris LIBER BARO, utet PROCERES CIVESQUE ACADEMIÆ honorifica desideratissimaque sua præsentia dignari velint, qua par est, observantia & humanitate, rogo. Dabit Ordo Noster sedulo diligenterque operam, ut, data occasione, nihil intermittat eorum, quæ ad officia studiaque mutuo declaranda pertinere videbuntur. Vitembergæ, d. XIII. Dec. M DCC XI.

VITEMBERGÆ,

PRELO GERDESIANO.

rii
a-
A
M
m
o-
e-
a-
u-
X-
Æ
a-
a-
r-
r-
o
,


05H792

56

ULB Halle 3
004 227 646







B.I.G.

Farbkarte #13



ORDINIS JURIDICI

IN

ACADEMIA VITEMBERGENSI

DECANUS

JO. BALTHASAR

WERNHER, D.

P. P. Collegiorumque Juridicorum

Affessor,

L. S.

